

de recederet, & dixit mihi: Confortare ab hac turbatione, qua metus te concussit.

QUÆSTIO LIV.

Quomodo dicitur, quod Christus non venit, ut iudicet mundum, cum pater omne iudicium dederit filio.

289. A It Christus Dominus hoc loco, quod Deus misit filium suum in mundum, non ut iudicet mundum. Et tamen de Christo Domino ait Iſaias 16. num. 5. Preparabitur in misericordia filium ejus, & sedebit super illud iudicans & quærens iudicium. Et Joan. 5. num. 22. ait Dominus: Pater non iudicat quemquam, sed iudicium dedit filio. Et Joan. 9. num. 39. In iudicium ego in hunc mundum veni. Quomodo ergo ait Christus, quod ipse non est missus, ut iudicet mundum? Pro huius rei intelligentia notandum est ex D. Basilio Psalm. 7. Alberto Magno, & aliis, quod iudicare multipliciter sumitur in Scriptura, & præcipue tribus modis. Primum est iudicium discretionis quando boni discernuntur à malis, sicut filii Israël discreti fuerunt ab Aegyptiis in plagis: & secundum hunc iudicii actum iudex fert sententiam approbando, vel reprobando; & de hoc iudicio dicitur Psalm. 7. num. 1. Dominus iudicat populos. Secundum est iudicium quidam actus iustitiæ, & idem valet ac discurre, & examinare facta. Psalm. 25. num. 1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Et statim sequitur Proba me Deus, & tenta me, & vide si via iniquitatis in me est. Osee 2. num. 2. Iudicate matrem vestram, iudicate: quoniam ipsa non uxor mea est, & ego non vir ejus. Tertio, iudicare, idem est ac damnare, seu condemnare; Apocalyp. 18. num. 10. Va civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit iudicium tuum, id est, condemnatio tua. Et Christus Dominus Joan. 5. num. 29. Procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero male egerunt, in resurrectionem iudicii? id est, damnationis. Respondeo primò ad quæstionem cum Alberto Magno, D. Thoma, D. Bonaventura, & est germana explicatio. Christus Dominus in hoc primo adventu non venit ad iudicandum, id est, ad condemnandum, sed ad salutem dandam. Et hoc pacto manet legitima oppositio inter verba, iudicare, & salvare, ut dixi in expositione. Unde ait Divus Chryostomus homilia 27. Duo sunt Christi adventus, præteritus, & futurus, sed non eisdem de causis: præteritus, non ut iudicaret, sed ut dimitteret: futurus contra, non ut dimitteret, sed iudicaret. Ac proinde iudicare prout est idem ac condemnare, ad secundum adventum pertinet: in primo autem totum fuit gratia, & misericordia Dei, ut pergit citatus Chryostomus. Incredibile præ se fert humanitatem, quod non solum filium daret, sed iudicii quoque tempus differt in longum, ut ablundi criminis potestas fieret peccatoribus. Si Christus Dominus ait de se, loquens de suo primo adventu, quod venit in iudicium rectè explicat D. Thomas, quod Christus

in primo adventu venit in iudicium discretionis, quia eo veniente homines discreti sunt, quidam per cæcitate, quidam per lumen gratiæ. Et ita Pater in omni acceptione omne iudicium dedit filio, licet actus condemnationis reservatus sit ad ultimum adventum.

Secundò Euthymius. Et in eandem ferè sententiam redit cum D. Chryostomo. Neque solum, ait, dedit filium suum unigenitum, sed & iudicium rejecit, atque in secundum ejus distulit adventum. Pater omne iudicium dedit filio, & filius omnes iudicaturus est, sed hoc ad secundum adventum reservatum est; nam primo adventu totus misericordiam præstitit, & ut omnes salvifian. In principe enim inter omnes animi dotes semper misericordia primas tenet. Vide lib. 2. dicitur. cap. 4. num. 33.

Tertio Ammonius in Catena Græca, Duo, ait, sunt Christi adventus. Primus quidem non examinis, sed condonationis; secundus vero contra non condonationis, sed examinis existit. Idcirco de priori ait; Non veni, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum. Verumtamen & hoc tempus etiam erat iudicii. Qui sic, Quia nimirum in priori ejus adventu, & Propheta, & lex, & doctrina, infinitaque propemodum promissiones, signorum exhibitiones, increpationes, supplicia, lex natura, atque alia ejuscemodi quamplurima fuerunt, quæ nos eraderent, atque corrigerent. Unde consequens erat, ut horum omnium stricta ratio exigeretur. Verum cum benignitatem præstaret, non inflixit examinationem, sed veniam edit. Ultima verba expendit. Multa erant quæ in primo Christi adventu rigorem, ac iustitiam excitabant; sed cum tunc fuisset à Deo constitutum tempus gratiæ, misericordiæ, ac benignitatis, ideo severitas iudicii ad secundum adventum fuit reservanda, ne gratiæ indulgentia severitate condemnationis minueretur. Post interfectum Abalonem, qui à Rege defecerat, cum supplices ad ejus pedes pervolverentur, ut veniam invenirent, inter hos advenit Semei, qui Regi maledixerat. Quod iniquè ferens Joab, volebat eum interficere, cui ait David: Ergone hodie interficietur vir in Israël? an ignoro, hodie me factum Regem super Israël? 2. Reg. 19. num. 22. Abulenti, Tanquam si dicat David, Non debes ignorare, quod ego hodie noviter constitutus sum Rex super Israël, ideo non est dies ad occidendum aliquem, cum dies onctionis Regis sit dies misericordiæ, & gratiæ.

Quartò Divus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joan. cap. 61. Non enim, inquit Dominus, missus sum, ut lege orbem terrarum, quemadmodum Moyses, damnum; nec ut mandata in redargutionem peccatorum tradam, nec ut servili ministerio fungar: verum ut per misericordiam Deo convenirem, tanquam filius, ac hæres Patris servitute homines vendicem, damnante lege in justificantiem gratiam commutata; & sic à peccatorum vinculis genus eripiam. Ad salvandum ergo, & non ad damnandum veni. Missus est ad populum Moyses, missus est & meus Jesus. Sed Moyses tanquam servus, & servili ministerio fungens, ad perimendos, ac damnandos Aegyptios venit, & ut mandata in redargutionem peccatorum multis pœnis impositis traderet. At meus Jesus tanquam filius, ac hæres æterni patris descendit in orbem, non ad iudicandum, sed damnante lege

QUÆSTIO LV.

Quomodo dicitur hic filius Dei missus in mundum, cum Ioannis 1. dicatur, quod erat in mundo?

295. Ait Moyses ad populum in persona Dei: Vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mei in peculium de cunctis populis, & eritis mihi in regnum sacerdotale gens sancta. Exod. 18. num. 4. & 5. Ubi Dominus percussit Aegyptiis, interveniente legis observatione populum Israëliticum elegit in regnum sacerdotale. At quid excellentius Christianis populis promulgat Petrus Epistol. 1. cap. 2. num. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ut virtutes annuntietis ejus, qui, de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Meus Jesus, non de rigore, ac observatione legis, nec interveniente alicujus damnatione; sed de caligine, ac peccatorum tenebris nos vocavit in admirabilem lucem suam. Sed cur Deus in Moese, ut eligat in regale sacerdotium, legis adstricta adimpletio mandatur, & transgressoribus capitalis pœna infligitur, & devastatio Aegypti ante oculos proponitur? At Deus in Christo, non de legis observatione, non de alicujus damnatione, sed de impietatis caligine nos transtulit in vitam æternam? Moyses servus; Jesus filius Dei, ille ut servus adstringente lege, & ejus capitali pœna ante oculos proposita, ad magna producit: in Jesu autem, ut Dei filio, tota beneficentia, ac indulgentia absque supplicii panditur, & visitur. D. Basilius Seleucus Orat. 25. statim in principio Moyses, ait, Hebræorum Doctor Dei cognitionis disciplinam Iudaorum filius traditurus, discipulorum animos Aegyptiorum supplicii ante præclit. Et statim aliqua facta in Aegypto commemorat, & subdit, Verum Dominus noster Jesus Christus resurrectionem Apostolorum choro promulgans, non quibus alios puniveris, is ipse docet, sed miraculorum, & humanitatis sua fontes patefaciens, & commune valedinarium aperiens miraculorum vi, quasi manu ducit animos ad Dei cognitionem. 296. Ingrediens Josué Jericho, eam funditus devastavit, Josué 6. n. 20. Aliter Jesus, qui ingressus perambulabat Jericho, & ecce vir nomine Zachæus, &c. Luc. 17. num. 1. Ad Jericho veniunt Josué, & Jesus, Josué clangentibus tubis & multo stipatus exercitu, evaginato gladio civitatem solo adæquans. At Jesus venit, ut salvificet, ac reducat ad vitam. Quomodo, bone Jesu, ingrederis civitatem, quam tuus miles devastavit? Ille erat servus; Jesus Dei filius. Josué, ut servus, venerat clangore tubarum, id est, legis strepitu, ut damnaret, ac ut civitatem demoliretur. Jesus, ut Dominus totus beneficus ac benignus, ut salvaret, ac vitam daret. D. Chrysol. serm. 54. de Zachæo. Jericho, ait, civitas ipsa est, quam Josué Nave septeno tubarum clangore subvertit. Sed quia Christus venit salvare, quod perierat, ingreditur Jericho, ne quod lex terribili vociferatione dejecerat, Jesus clamore pia prædicationis anollat.

DE filio Dei dicitur Joan. 1. n. 10. In mundo erat. Quomodo hoc loco ait Christus Dominus, quod Deus misit filium suum in mundum? Respondet D. Bonavent. quod in mundo erat, scilicet divinitate, sed in mundum dicitur mitti humanitatis assumptione. Et hæc est literalis ratio. Et etiam moraliter rem explicemus. Meritò enim qui in mundo erat ob divinitatem, tanquam omnium Dominus & Deus omnia gubernans, & disponens sub forma servi in mundum mittitur ad restaurationem, in morale documentum nostrum, ut ille, qui ut Princeps omnibus imperat, & ad suum nutum cuncta regit, si occasio postulet, tempus flagitet, se tanquam omnium servum exhibeat, ac pro omnium salute steter. Unde Pacatus Latinus videns suum magnum Imperatorem Theodosium multis laboribus fatigari, exclamans dixit: Quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est; ò Imperator. Ac si diceretur: Nemo miretur, quod Princeps tantis anxietur molestiis, nam tota Imperatoris vita labor est, laboribus vivit, nutritur, & pascitur, ac cuncta gubernat.

Jacob diligebat Ioseph super omnes filios suos, Genes. 37. n. 1. Et in signum huius amoris moriens, peculiare donum ei dedit, dicens, Do tibi partem unam exia fratres tuos, quam tui de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo, Genes. 48. n. 22. Hanc partem fuisse Sichimam, communis est expositio. Et ita habent Septuaginta: Ego autem do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos quam cepi de manu Amorrhæorum. Sed cum Jacob esset valde potentissimus, utpote hæres possessionum Abrahami, ac Isaac, cur non aliud donum in morte delegavit dilectissimo filio Ioseph, nisi Sichem, quam ab Hemor emerat centum agnis? Cur donum ex auro, vel argento confectum ei non derelinquit; Sichem, ut interpretatur D. Hieron. in quæstionibus Hebræicis, D. Iſid. & alii, idem valet, ac humerus. Et ita ait D. Nilus Abbas in Ascetico, Sichima, quod est humerus, significat laborem; quare Jacob partem eximiam dat Ioseph, ipsa Sichima, quæ in gladio, & arcu suo se dicit acquisisse. Ioseph totius Aegypti regimen tenebat; meritò ergo Jacob moriens, in signum, ac pignus amoris, nil ei relinquit, nisi Sichimam, id est humerum, quia Princeps tanquam bajulus super humeros onera populorum asportat. Et ideo pater filio Ioseph Sichimam, five humerum donat, ad ejus humeros corroboreandos, ad onera populorum deferenda; quia populus non asportat Regem humeris suis, sed potius Rex populum. Vide lib. 3. c. 3. q. 3. n. 19.

Ioannis 3. num. 18. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit; iam iudicatus est; quia non credit in nomine



ne unigeniti filij Dei.

VERSIONES.

Syriacus, Vatabl. Qui credit in eum non condemnatur, qui vero non credit, jam condemnatus est.

Arias. Credens in eum non judicatur; qui autem non credens, jam judicatus est.

D. Athanasius lib. 5, contra Arium. Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem discedit filio, non videbit vitam.

D. Zeno serm. in Psalm. 110. Qui credit in me, non judicabitur.

Tertullianus ad versum Praeam. c. 21. Qui crediderit in illum, non judicatur, qui non crediderit in illum, jam judicatus est, quia non credit in nomine unici filij Dei.

credendi se ostendit homo dignum æterna pœna, & privatum cœlesti gratia, quæ est semen vitæ, & non dicit, judicatur, sed jam judicatus: supra enim de credente, Qui credit non judicatur; at de infideli, qui non credit, jam judicatus, per quod aliquid majus denotatur; nam qui non credit non solum est adstrictus condemnationi, sed ipsomet infidelitatis actu condemnatus. Et ita ait Divus Chrysostr. homilia 26. Ipsum discedere impenitentis supplicium est, esse enim extra lumen secundum se maximum supplicium est. Et totius pœnæ subijcitur causa: Quia credit in nomine. Merito non credens in tantam pœnam incurrit; quia ut ait Divus Cyrillus lib. 2. cap. 53. Nam quanto præstantius est, quod conemnitur, tanto majoribus, qui spernit, supplicii subijcitur. Causam dictorum subdit Dominus: Quia non credit in nomine filij Dei. Albertus Magnus advertit, quod non hic ponitur pro notitia ac cognitione, quæ data est de filio Dei per testimonium Joannis, vocem Patris, & per stellam & alia. Et dicitur, Quia non credit in nomine, Actor. 4. num. 14. Quia nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: Et non dicitur: quia non credit in filio Dei, sed in nomine, quia in ipso nomine Jesu omnia magna recapitulantur.

EXPOSITIO.

299. PROBANT Dominus præcedentem sententiam, se in primo adventu non venisse in judicium, & condemnationem mundi, sed quod unusquisque vitio suo se damnet. Nam vel homo credit, vel non credit: si credit, non judicatur in hoc primo adventu, hoc est, Christus non exercet suam justitiam contra eum; si autem non credit, jam judicatus est. Ac proinde totius salutis causam, fidem esse, demonstrat. Et ait, Qui credit in eum; hoc est, fide formata, & operante per charitatem. Et ideo dicit in eum, ut jam notavi supra num. 217. Non judicatur, id est, non condemnatur. Ira transferunt Syriacus, & Vatabl. & explicat Divus Chrysostr. & Theophylactus; & alij citandi quæst. sequenti, & verbum judicare pro condemnare hic sumitur. Et non dicit, ut notat Albertus Magnus; Non judicabitur de futuro, sed non judicatur, de præsentibus, quia ubi primum homo credit, statim bona supernaturalia, & divina ad suam salutem consequitur, Joan. 5. num. 24. Qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam, & dum dicit Dominus de præsentibus, Non judicatur: per hoc intendit declarare, ut rectè observarunt Cajetan. & Tolet. quod ille, qui credit in eum, non judicatur, seu condemnatur de commissis ante peccatis, quoniam credendo, ut oportet, ad salutem, consequitur remissionem eorum, & gratiam habitalem Dei, non ex jure, seu debito, sed ex gratuita condonatione. Qui autem non credit, fide formata; nam qui iniquè agit, in opere non credit. Ait Paulus, Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant, ad Titum 1. num. 16. Jam judicatus est; id est, jam est condemnatus; in ipso enim actu non

Syriacus, Vatabl. Chrysostr. Theoph. Alb. Magn.

Joan. 5. Tolet. Cum gratia datur peccatorum remissio.

300.

Ad Tit. 1.

QUÆSTIO LVI.

Quomodo hæc sententia Christi: qui credit, non judicatur; & qui non credit, jam iudicatus est, cohereat cum universali judicio?

Asserunt Pauli infallibile fidei dogma est: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum, 2. Corinth. 5. num. 10. Constitutus est enim Christus Dominus iudex omnium vivorum, ac mortuorum. Et ideo omnes tam probi, quam improbi, ab ipso sunt judicandi. Quomodo ergo ait Dominus hic: Qui credit non judicatur, & qui non credit, jam judicatus est. Et ob id Divus Zeno serm. in Psalm. 100. Divus Hilarius in illud Psalm. 1. Non resurgent impii in judicio. D. Augustinus lib. de Agone Christi, c. 27. referunt, aliquos fuisse deceptos universale judicium negantes; dicebant enim, hac sententia Domini à judicio eximi fideles, infideles non admitti; an proinde neminem superesse indicandum. Ideo Patres in varias sententias abierunt in hujus rei explicatione.

Respondet primò D. Hilarius citato loco, quod judicium est in ambiguis, ac proinde quod justii credentes, cum eorum merita sint nota, non sunt judicandi infideles autem, cum non credant, eorum damnatio est aperta, & ideo, jam sunt judicati. Qui autem credunt cum justis & malè agunt cum peccatoribus, hos esse judicandos asseverat, ut eorum cooperta nequitia, dum vivebant, fiat coram omnibus aperta & manifesta in universali judicio.

Secundò D. Augustinus citato loco, & tract. 12. in

Chrysostr. est, esse enim extra lumen secundum se maximum supplicium est.

Cyrril.

Alb. Magn.

Actor. 4.

Actor. 4.

In nomine Jesu omnia magna recapitulantur.

301.

2. Cor. 5.

Zeno, Hilar. August.

302.

Hilar.

303.

in

August.

304.

Zeno.

Basil.

Ambros. Gregor. Hieron.

305.

Vera sententia.

Chrysostr. August.

Basil.

Euthym.

Theoph.

Albert. Mag.

D. Thom.

Bonavent.

Hugo.

Chrysostr. Euthym. Theoph. Genes. 2.

Ad Tit. 3.

in Ioan. Non credentes, asseverat, judicandos; hujusmodi autem verba, Jam judicatus est, affirmat dicta more prophetico, nam ob magnam certitudinem rei solent multoties Prophetæ futura prædicere, tanquam præterita. Et eodem modo explicat illa alia verba de fidelibus: Qui credit, non judicatur, quia tam certa est eorum vita æterna, ac si judicium esset absolutum.

Tertio D. Zeno, & alij Doctores statim citandi, considerant in judicio duos actus, ut jam notavi quæst. 54. in principio. Unus est examinis, & discussionis, quo causa examinatur, ac discutitur; Alius actus, quo examine facta sententia profertur. Dicunt ergo, judicio discussionis non esse credentes judicandos, nam eo ipso quod non credunt, eorum causa jam est judicata, ac damnationi obnoxia: affirmant tamen judicandos judicio sententiæ, quia sententia damnationis contra eos proferenda est. Ita docent Divus Basilius in Psalm. 1. in illud: Non resurgent impii in judicio. Non, inquit, veniunt, ut convincantur, sed ut ferant damnationem. Similiter Divus Ambrosius in cit. Psalm. & serm. 20. in Psalm. 118. num. 2. D. Greg. lib. 26. Moral. cap. 20. D. Hieron. in illud Jerem. 25. Iudicium Domini cum gentibus.

Quarto, & est vera intelligentia, quod hoc loco verbum judicare sumitur pro damnare. Ita tradunt, D. Chrysostr. homil. 27. & homil. 65. in Math. D. August. serm. 14. de verbis Apostoli: Quid est, ait, jam judicatus est? damnatus est? nam judicium pro damnatione plerumque ponitur, & tract. 2. & 43. in Ioan. D. Basil. Psalm. 7. hoc in loco Euthym. Theoph. Albert. Mag. D. Thom. Bonavent. Hugo.

D. Bonavent. Hugo, & alij multi. Qui credit, non judicatur, id est, non damnatur, nam per fidem formatam, ac per ipsam gratiam habet causam per quam effugiat damnationem, & qui non credit, jam dicitur judicatus, id est, damnatus: nam per peccatum, incredulitatis habet in se causam damnationis. Sicut qui mortiferum vulnus accepit, dicitur jam mortuus, quamvis adhuc vivat, quia in se jam habet causam mortis. Adamus, ut explicat D. Chrysostr. homil. 27. in Ioan. Euthym. Theophyl. qua die comedit, dicitur mortuus. In quacunque die comederitis, morte moriemini. Genes. 2. n. 17. Et tamen ipse postquam comedit, vivebat: tamen dicitur mortuus rei natura, ac sententia Dei, quia fecit se obnoxium supplicio mortis; ac proinde à propria ratione iudicii sui jam est condemnatus. De hæretico ait Apostolus ad Titum. 3. n. 10. Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devota, sciens, quia subversus est, qui hujusmodi est, & delinquit, cum se proprio iudicio condemnatus. Græcè legitur, à se ipso condemnatus.

Etis quæst. 54. in principio. Sed, ut moraliter dicamus, apud homines idem valet judicare, ac condemnare; quia nullus apud homines accusatur, qui totaliter sit absolutus; nam ipsa accusatio, ac judicium, quoddam condemnationis, est genus; quamvis enim homo absolvatur, semper tamen manet suspicio, ac probabilitas commissi criminis; & ipsa discussione multa sæpe crimina fabricantur. Nam dum homo turpe flagitium sibi obiectum à se repellit, ipsa defensione creditur, ac verecundia afficitur; & ipsa criminis refutatio etiam valde modesta est. D. Greg. Nazianz. Orat. Nazianz. de laudibus Basili, inter ejus graves perfectiones commemorat, quod de ejus vitæ integritate facta fuerit inquisitio. Ille, scilicet Prætor, ut sum fervere concitatur, & magistratus quosdam mittit, qui sancti viri cubiculum perferuntur; ignominia causa potius id faciens, quam quod hujusmodi quidquam necesse esset. D. Chrysol. serm. 3. eleganter ait: Delicta, Chrysol. qui discutit, prodit.

Totam domum Jacob investigavit, ac revolvit Laban, an idola sua sibi ablata potuerit invenire, quæ cum non invenisset, Tamen Jacob cum jurgo ait, Quam ob causam meam, & ob quod peccatum meum exarsisti in me? Scrutatus es omnem suppellectilem meam? Genes. 31. n. 36. Sed Jacob, qui valde mitissimus erat quomodo tanta indignatione tangitur? æquo animo passus est minas, ac injurias fratris, fraudem fecerit, dum pro Rachel dedit Liam, permutationes Laban; necem dilectissimi filii Joseph, quamvis suspicaretur, ut voluit graves Auctores, quod à fratribus esset interfectus; & tamen in tantis eventibus non irascitur, sed modò indignatione commoveatur, Scrutatus es omnem suppellectilem meam? Totius familie examen, ac inquisitionem pro gravi injuria habuit, nam dum investigatur, semper fama periclitatur, ac multis opinionibus est exposita. Rupert. lib. 7. de Trinit. & operibus ejus Rupert. cap. 45. Quid invenisti de cuncta substantia mea, ut tu exarsceres post me, & scrutaveris omnem suppellectilem meam, quæ magna indignitas est. Carthofianus citato loco Genes. 1. se indignans Jacob, ait, quoniam contumeliosum fuit, ita de furto peti, reprehendi, & examinari. Vide cap. 12. num. 60. & 61.

Joannis 3. n. 19. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.

VERSIONES.

Syriacus, Vatabl. Hæc est autem condemnatio &c. & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, &c.

EXPOSITIO.

APPONIT Christus Dominus causam, & rationem, ut norant Divus Chrysostr. Alcuinus, Theophylactus, Euthymius, Albert.

judicium, quoddam damnationis genus.

307.

Genes. 31.

Dum aliquis subit exa-

Carthof.

308.

Chrysostr.

Alcuinus.

Euthym.

Theoph.

Albert.